

fae, quae cum subputentur *Libris*,
occurrantque inter Accipientes
Wilhelmus de Egmonda, *Petrus*
de Mechlinia, *Anthonus de Fran-*
cia, probabile fit, Codicem *Pa-*
tavio in *Belgium* commigrasse.

DXXIII. *Nulli*

R. 3047 Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 196. f. maj. per
duas columnas characterē crassiu-
sculo, et multum scafente com-
pendiis exaratus, coloribus distin-
ctus, olimque *Monasterij S. Do-*
rothae in Wyenna continet *Lib-*
ros III. priores vasti Commenta-
rii in Magistrum Sententiarum,
quorum I. incipit: *Dedit Abissus*
uocem suam. Abac. 3. Gloriosus
doctor Augustinus diuine nature su-
pernam dignitatem et rationalis
creature eternam felicitatem consi-
derans &c. Ex his, ut ut Autoris
nomen a vetusta manu non com-
pareat in Codice, certum fit, eum
esse *Thomam Hagenensem O. E-*
rem. S. Aug. dictum *de Argentina*,
quam diutius docendo illustravit,
ad generalem Ordinis sui Priora-
tum provectum, et, dum Ordinis
domicilia obiret, apud nos anno
1357. defunctum, conditumque
in Templo Suorum hodie Aulico
ad latus *Gregorii de Arimino*, de
quorum inspecto a. 1634. Sepul-
cro narrat *Pars I. Scriptt. Univ.*
Vien. p. 21. et uberius de *Tho-*
ma Ossingerus in *Biblioth. Augu-*
stin. p. 71. Initium Commentarii
supra adlatum citat *Trithemius n.*
627. et confirmant Editiones,
quarum mihi *Gemuensis* apud *Ant-*

Orierium 1585. f. objacet, *Gene-*
vensis vero a. 1635. f. ab *Ossin-*
gero memorata suspecta est. *Liber*
III. in Codice nostro finitus non
est. Praeterea nullae habentur *LL.*
Inscriptiones aut *Subscriptiones.*
Distinctionum tamen et *Quaestio-*
num Tituli ad finem adsunt. Nove-
rat Codicem hunc solers *Ossingerus.*

DXXIV. *Novit*

Codex membraneus lat. Sec. U. 467
XIV. ineuntis, Folior. nunc 169.
f. per duas columnas minute et
nitide, multis tamen pro Schola-
sticorum more compendiis exara-
tus. *Commentaria in III. primos*
Libros Sententiarum Petri Lom-
bardi complectitur. Initium *L. I.*
avulsam est usque ad *Distin-*
tionem XXVI. quae incipit: *Nunc*
de proprietatibus &c. Sicut dictum
est *hec pars que pertinet ad con-*
fessionem trinitatis &c. Extrema
sunt: *trinitatis patris et filij et*
spiritus sancti. *Liber II.* incipit:
Creationem rerum &c. Quantum
ad primam partem huius *distin-*
tionis in qua eliduntur errores circa
rerum creationem &c. et finit: *et*
mandata eius obserua. *Liber III.*
incipit: *Quamuis secundum bea-*
tum Augustinum assumentem ma-
teriam diuinarum scripturarum in
libro de doctrina christiana &c. et
finit: *non est de essentia iuramenti,*
immo accidit. Atque hic demum
ad calcem legas: *Explicit tercius*
liber fratris rigaldi super senten-
tias. Jam quis hic Rigaldus? Non
ille, quem Bibliothecarii Ord.
Praed. T. I. p. 475. suum faci-
unt;

unt; hujus enim *Commentaria* longe aliter incipiunt et finiunt, ut conferenti patebit. Non ille *Odo Rigaldus*, seu *Reginaldus* ex *Ord. Min.* factus *Rothomag.* Archiepiscopus, de quo *Oudinus* T. III. col. 449. non enim reperi in Codice L. III. *Dist.* 3. locum illum contra Conceptum Virginis sine macula, quem e suo *Rigaldo* ille profert. Adoptandus igitur erit *Raymundus Rigaldus* O. M. cujus *Commentaria mss.* extare testatur *Waddingus* in Bibliotheca Conventus *Affisi* hoc initio: *Quaeritur, utrum plures sint veritates ab aeterno* &c. Id quod definire Codicis nostri ἀνεφάλας vetat.

DXXV.

R. 495 ille Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 241. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum compendiis perscriptus, et coloribus illustratus caret principio, sed in calce legitur longo illo *Diplomatum* caractere: *Explicit liber quartus Summe magistri wilbelmi de azbornen.* Fateor inauditum mihi hunc Autorem vasti Operis, a quo citari video magistrum *Gisilbertum*, certe non alium, quam *Porretanum*; agitur enim de *Boethii* L. de *S. Trinitate*, in quem extant hujus *Gisilberti* seu *Gilberti* *Commentaria*. Is porro Sec. XII. scripsit, unde posterior est *Wilhelmus* noster, in cujus Cognomine corrupendo fortasse nos ludificatus est *Librarius*. Quidquid sit, L. I. hujus *Summae* agitur de Deo et Di-

vinis, L. II. de Lapsu Angelorum et Peccatis, L. III. de Christo et Virtutibus, L. IV. de Sacramentis, cumque initium L. I. et primum L. II. folium avulsa sint; dabo saltem L. III. initium: *Incipit liber tertius. et primo quaere potius filius fuerit incarnatus quam pater vel spiritus s. Dicto de peccatis quibus homo lapsus est in perditionem dicendum est de reparatore s. de filio dei. hoc ordine procedemus. De incarnatione primo. Secundo de predestinatione christi. tertio utrum christus fuit decimatus in lumbis abrahe &c.* L. IV. extrema sunt: *que preparauerit deus his qui diligunt eum. Illa gaudia nobis prestare dignetur ihesus christus dominus noster, qui cum patre* &c. Omnibus Libris adest Elenchus Capitum.

DXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 520 Folior. 239. 4. commode perscriptus, et rubricis enotatus, sed initio mutilatus hanc praefert fol. 89. clausulam: *Anno Domini 80c. (14) 33°. Lectura textualis Reuerendi magistri Hainrici de oytta primi sententiarum.* Evocatus fuit Vir hic *Parisis* ad auspicandas Lectiones theologicas *Viennam* ab *Alberto* Duce a. 1379. una cum *Henrico de Hassia*, ut pluribus docetur in *Scriptt. Univ. Vien. P. I. Sec. 1. p. 58.* annumque vitae supremum habuit 1397. Natione *Frisus* fuit, celebratus *Tribemio* n. 687. qui praeter alia in omnes IV. *Sententiar. Libros* scripsisse affir-